



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 272. Et accedens reuoluit lapidem. v. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

tantus tibi simul pro me redempto honor est impensus, ut terrarum orbis tremeret te iterum cum Victoria redeunte in mundum.

§. 271. *Angelus enim Domini descendit de celo. v. 2.*

Si vnus Angelus tam fortis ac potens est ut eius descensu è cælo moueatur terræ pondus immensum habens in ambitu solo circulum 5400. miliarium Germanicorum, & in transitu ad medium centrum 859. mill. Germanica! quid non legiones Angelorum efficient! sed fuerit iste motus immediatè à Deo productus, tamquam miraculum cui impares sint Angeli, ni hilominus habes hic anima mea, quod utiliter capias. nam si Dominus resurgens & lætus sic toti quasi mundo terrorem incutiat, quantus igitur tremor est futurus quando Christus Iudex est venturus? cum quo non vnus Angelus sed tot millia Angelorum & sanctorum descendunt è cælo, & ex omni parte mundi audietur tuba, clamans, surgite mortui venite ad iudicium: ô quanta concussio terræ! quanta turbatio! quantus terror tunc erit! Horresco.

I Deo precor mi Domine Deus terribilis & potens & misericors ut me ad terribile id iudicium in tempore præparem, da gratiam ut semper & ubique in mente verferur is terror, ut vel sic à peccatis præseruet, & tandem in extrema illa anxietate inueniat securus, tibi acceptus, purus, paratus tecum intrare in gloriam tuam.

§. 272. *Et accedens reuoluit lapidem. v. 2.*

Dum Christus resurgit, illicò Angeli adsunt in ministerium Domini & vnus ut ostenderet militibus simul & mulieribus Christum, quem tanto amore illæ quærebant, isti seruabant, resurrexisse propria virtute etiam obsecrato adhuc per lapidem sepulchro, accessit sepulchrum videntibus mulieribus & reuoluit lapidem illum grandem à sepulchri ostio, ut testes resurrectionis Christi certo videre omnia & intrare sepulchrum sine obstaculo, & alijs sine vlla hæsitacione vel dubitatione possent nuntiare veritatem.

Domine Deus, gaudeo quidem de tua gloria & Angelorum ministerio, sed interim etiam sum sollicitus de me, idcirco oro te ut quando existi à me, quia homo peccator sum, mittas quoque Angelum sanctum tuum concionatores, libros pios, instinctus Sanctos, confessarium prudentem qui referat oclusum & obduratum cor meum ut recipiam pœnitentiam, agnoscam & intelligam peccata mea, & in tempore ea cum dolore cordis confitear ut is testis resurrectionis meæ & vitæ emendationis esse possit in die illa terribili resurrectionis vniuersalis.

§. 273. *Et*